



Antiquae Lectionis Tomus ...


In Qvo XVI. Antiqua Monumenta Ad Historiam Mediae Aetatis Illustrandam,
Nunquam Edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1601

S. Colymbani Abbatis Epistola, In Qua Detestatur Avaritiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64144](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64144)


S. COLVMBANI AB-
BATIS EPISTOLA,
IN QVA DETESTATVR
AVARITIAM.

COLVMBANVS HYBERNVS
Hunaldo discipulo.



*V*scipe Hunalde libens, & per lege mente serena
 Dicta Columbani, fida te voce monentis:
 Qua licet ornatu careant Sermonis honesti,
 Vota tamen mentisq; pia testantur amorem.

* Iste in monos-
 ticho est secū-
 dus.

* *V*ive Deo fidens, Christi præcepta sequendo,
 Dum modò vita manet, dum tempora certa salutis;
 Tempus & illa volat, momentis labitur ætas.
 Despice, que pereunt, fugitiua gaudia vite.
 Non fragiles sesteris opes & inania lucra,
 Nec te sollicitet circumflua copia rerum.

* Iste in monos-
 ticho est ter-
 tius.

* *S*int tibi diuitia diuina dogmata legis,
 Sanctorumq; patrum caste moderamina vite,
 Omnia qua dociles scripserunt ante magistri,
 Vel qua doctiloqui cecinerunt carmina vates:
 Has cape diuitias: semper contemne caducas:
 In mentemq; tibi veniat tremebunda senectus,
 Quam gelida tandem sequitur violentia mortis.
 Vltima iam sapiens meditatatur tempora vite,
 Torpentes senio vires morbosq; frequentes,
 Incertumq; diem leti certosq; dolores.

Mulla

Multa senem fragilis vexant incommoda carnis:
 Nam macie turpi tabescunt languida membra,
 Tunc genuum iunctura riget, venasq; per omnes
 Illius in toto frigescit corpore sanguis.

Sic baculo nitens arcus sustentat inertes.

Quid tristes memorem gemitus, quid tadia mentis?

Somnus abest oculis, illum sonus excitet omnis.

Quid tunc argenti, fulvi quid proderit auri

Improba congeries, multos collecta per annos?

Numera quid procerum? ditis quid prandia mensa?

Quid meminisse iuuat transacta gaudia vita,

Venerit extremi tandem cum terminus aui?

Hæc, dum vita volat, vigili qui mente retractat,

Spernit auaritiam, vanosq; refutat honores.

Quid modo terrenis mentes intendero curis

Mortales cupiunt? quid turpia lucra sequuntur?

Semper auarus eget, nec habet quod habere videtur.

Ille domi solus nummos abscondit in arca,

Diuitias cumulans, dum sese nescit amare,

Plus amat heredem, seruit cui cuncta fidelis.

Optimum felix, parcus cui sufficit usus,

Corporis ut curam moderamine temperet æquâ,

Non misera capitur cæcâq; cupidine rerum,

Nec maiora cupit, quàm quæ natura reposcit;

Non lucri cupidus nummis marsupia replet,

Nec molles cumulat tinearum ad pabula vestes.

Pascere non pingui procurat fruge caballos,

Nec trepido tales doluit sub pectore curas,

Ne subitis pereat collecta pecunia flammis.

Aut fracta nummos rapiat fur improbus arca.

Vivitur argento sine, iam sine vivitur auro;

Nudi nascuntur, nudos quos terra receptat.

evoluit.

Diuitibus nigri referantur limina ditis,
 Pauperibusq; piis caelestia regna patefcunt.
 Temnere diuitias monuit Saluator auaros.
 Quisquis amat Christum, sequitur vestigia Christi:
 Nam breuis & fragilis moritura gloria carnis
 Quicquid habet, rapidi velox fuga temporis aufere.
 Pulchrè veridici cecinit vox talia vatis,
 Tempora dinumerans cui vitæq; caduca.
 Omnia tempus agit, cum tempore cuncta trahuntur:
 Alternant alimenta vices & tempora mutant.
 Accipiunt alimenta dies noctesq; vicissim.
 Tempora sunt florum, retinet sua tempora messis,
 Sic iterum spisso vestitur gramine campus.
 Tempora gaudendi: sunt tempora certa dolendi:
 Tempora sunt vitæ; sunt tristia tempora mortis.
 Omnia dat, tollit, minuitq; volatile tempus.
 Ver, æstas, autumnus, hyems, redit annus in annum.
 Omnia cum redeant, homini sua non redit ætas:
 Hanc sapiens omni semper reminiscitur hora,
 Atque domum luctus epulis præponit opimis.

F I N I S.

